

- ianuarii predicti millesimi, cuius statuti tenor talis est: ¶ Statutum est de novo quod iudices qui pro tempore erunt post confirmationem presentis statuti elligere debeant octo bonos homines civitatis Tergesti qui sciant literas, qui sic ¹⁾ ellecti
- 5 per dominum potestatem constringantur ad infrascripta: videlicet quod ipsi debeant et teneantur omnia statuta scripta in volumine statutorum cum suis adictionibus, et statuta firmata in anno presenti que vigent, ac etiam omnes reformationes scriptas in libro reformationum, que eisdem mellius videbuntur,
- 10 reducere in statutis. ¶ Et de hiis statutis et reformationibus de una materia et facto loquentibus reducere ad invicem ordinate et concordare sub rubricis et titullis ut melius eisdem videbitur pro bono civitatis Tergesti, ipsorum non mutando substanciam. Quibus sic reductis, de predictis statutis fieri debeant libri tres, unus quorum debeat poni in sacristia comunis,
- 15 alter esse debeat in manu domini potestatis, tercius vero in palacio comunis et poni debeat ad chatenam ubi alter liber statutorum primo morabatur. Et si eisdem sapientibus videbitur habere dominum potestatem cum ipsis, vel aliam seu alias
- 20 personas iuridicas, quod accipere possint. ¶ Item // omnes alias 12 B reformationes et consuetudines providere et, si eisdem videbitur, de ipsis reformationibus et consuetudinibus eciam facere duos libros, et que essent utiles ponere in uno libro sive in statuto, et alias que non viderentur utiles pretermittere. ¶ Qui
- 25 sapientes providere debeant super predictis usque ad quatuor menses subsequentes postquam ellecti fuerint, sub pena viginti-quinque libr. par. pro quolibet ipsorum. ¶ Et eisdem octo hominibus provideatur de eorum labore de camera comunis in discretione domini potestatis et suorum iudicum.

¹⁾ *sil.*